

I EPIGRAMMATA DE VARIIS FONTIBUS DESUMPTA

AD INVICTISSIMUM, SERENISSIMUMQUE IACOBUM MAGNAE BRITANNIAE REGEM

M1_1 v.1 Angliae, et unanimes Scotae pater, anne maritus
 2 sis dubito, an neuter, (rex) vel uterque simul.
 3 Uxores pariter binas sibi jungat ut unus,
 4 credimus hoc, ipso te prohibente, nefas.
 5 Atque, maritali natus violare parentem
 6 complexu, quis non cogitat esse scelus ?
 7 At tibi divinis successibus utraque nubit ;
 8 una tamen conjux, conjugis unus amor.
 9 Connubium o mirum, binas qui ducere, et unam
 1_ possis ! Tu solus sic, Iacobe, potes :
 11_ divisas leviter terras componis unam
 12 atque unam aeternum nomine, reque facis :
 13 natisque, et nuptis, pater et vir factus utrisque es ;
 14 unitis conjux vere, et amore parens.

EPIGRAMMA

M1_2 v.1 Haeredem (ut spes est) pariet nova nupta Scota Anglum ;
 2 quem gignet posthac ille, Britannus erit :
 3 sic nova posteritas, ex regnis orta duobus,
 4 utrimque egregios nobilitabit avos.

EPIGRAMMA

M1_3 v.1 "Quid tu te numeris immisces ? Anne medentem
 2 metra cathedratorum ludicra scripta decent ? "
 3 Musicus et medicus, celebris quoque, Phoebe, poeta es,
 4 et lepor aegrotos, arte rogante, juvat.
 5 Crede mihi, doctum qui carmen non sapit, idem
 6 non habet ingenuum, nec genium medici.

CARMEN SIBYLLAE

M1_4 v.1 Debetur alto jure principium Jovi,
 2 votis det ipse vim meis, dictis fidem.
 3 Utrisque decoris splendet egregium jubar ;
 4 medio triumphus mole stat dignus sua,
 5 caelumque summo capite dilectum petit.

6 Quam pulchra pulchro sponsa respondet viro !
 7 Quam plena numinis ! Patrem vultu exprimit,
 8 parens futura masculae prolis, parens
 9 regum, imperatorum : additur Germaniae
 1_ robur Britannicum : ecquid esse par potest ?
 11 Utramque junget una mens gentem, fides,
 12 Deique cultus unus, et simplex amor.
 13 Idem erit utrique hostis, sodalis idem, idem
 14 votum periclitantium, atque eadem manus.
 15 Favebit illis Pax, favebit bellica
 16 Fortuna, semper aderit adjutor Deus.
 17 Sic, sic Sibylla ; vocibus nec his deest
 18 pondus, nec hoc inane monumentum trahit.
 19 Et aureum est, et quale nec flammam timet,
 2_ nec fulgura, ipsi quippe sacratur Jovi.

ILLUSTRISSIMO, POTENTISSIMOQUE FREDERICO V RHENI COMITI PALATINO, DUCI BAVARIAE

M1_5 v.1 Cogimur ; invitis (clarissime) parce querelis
 2 te salvo ; laetos non sinit esse Deus :
 3 nec speratus Hymen procedit lumine claro ;
 4 Principis exstincti nubila fata vetant.
 5 Illius inferias maesto jam musica cantu
 6 prosequitur, miseros haec dea sola juvat.
 7 Illa suos tibi summittit (dux inclite) quaestus,
 8 fraternus fletu quem sociavit amor :
 9 sed nova gaudia, sed tam dulcia foedera rupit
 1_ fati infelicis livor, et hora nocens.
 11 Quod superest, nimios nobis omni arte dolores
 12 est mollire animus, spes meliora dabit :
 13 cunctatosque olim cantabimus ipsi Hymenaeos,
 14 laeta simul fas sit reddere vota Deo.

M1_6 v.1 Omnia nec nostris bona sunt, sed nec mala libris ;
 2 si placet hac cantes, hac quoque lege legas.

M1_7 v.1 Pulchro pulchra datur, sociali foedere amanti
 2 tandem nubuit amans ; ecquid amabilius ?

M1_8 v.1 Verae ut supersint nuptiae
 2 praeite duplici face :
 3 praetendat alteram necesse
 4 Hymen, alteram par est Amor.

M1_9 v.1 Uni ego malle placuisse docto,
 2 candido, et fastu sine judicanti,
 3 millium quam millibus imperitorum
 4 inque videntum.

THOMAE CAMPIANI EPIGRAMMA DE INSTITUTO AUTHORIS

M1_10 v.1 Famam, posteritas quem dedit Orpheo,
2 dolandi, melius musica dat tibi,
3 fugaces reprimens archetypis sonos ;
4 quas et delicias praebuit auribus,
5 ipsis conspicuas luminibus facit.

AD AUTHOREM

M1_11 v.1 Personas propriis recte virtutibus ornas,
2 (Barnesi) liber hic vivet, habet genium,
3 personae virtus umbra est ; hanc illa refulcit,
4 nec scio splendescat corpus an umbra magis.

INCIPIIT THOMAS CAMPIANUS MEDICINAE DOCTOR

M1_12 v.1 Ad Venetos venit corio Coryatus ab uno
2 vectus, et, ut vectus, pene revector erat.
3 Nave una Dracus sic totum circuit orbem,
4 at rediens retulit te, Coryate, minus.
5 Illius undigenas tenet unica charta labores,
6 tota tuos sed vix bibliotheca capit.

M113 v.1 Verba volant ; verum : quid enim velocius illis ?
2 Arte (Balese) tua, nunc quoque penna volat.

II POEMATATA VARIA

AD DIANAM

M2_1 v.1 Dii nemorum, et vati Tamesinae adsistite nymphae,
2 dum struit herbosum vestras altare Dianae
3 proper aquas, jaculantis apros, vulpesque Dianae.
4 Post hiemes aliquot solita inter sidera sidus
5 nativo candore deam splendescere laeti
6 suspicietis, iniqua arcentem frigora vultu,
7 qua formosa poli glacialis parte relucens
8 servatos lustrarit agros, populumque suarum
9 virtutum memorem, nec dedignabitur alte
1_ despectare suos projecta cacumina colles.
11 Illa aquilam (cernetis enim) rigidumque leonem
12 frustra obnitentes roseis trahet armamentis,
13 atque levi filo spumantia colla refringet.
14 Ocius, o nymphae, quin fertis ad illius aram
15 gramineos flores, mentam, violasque latentes,
16 et foliis quae caltha suis se prodit agente
17 sole diem, frustra nymphis se illisa requirens
18 cum gelidam fugeret retrahens sibi brachia noctem ?
19 Praecipue asportate rosas, prata ampla rosarum,

2_ diva suos flores agnoscet debita sacra.
21 Congerite has frondes, stipulaque arente fovete
22 candentes prunas, animisque educite flammam.
23 Has olim ad Tamesin sparsas in littore voces
24 certum est in cineres dare, quid conspergitis undas
25 o nymphae ? Quid iniqua pios manus enecat ignes ?
26 Parce, dea, exstinctam superant mea sacra favillam,
27 quasque adolere fuit satius, fecere sororum
28 agmina reliquias, et mi monumenta pudoris.
29 Sed tibi seu caelum est animus, seu visere terras,
30 ad Thamesin tua sceptrata canam, tua sceptrata canenti
31 adcurrent nemora, et laurus simul omnia fient.

AD DAPHNIN

M2_2 v.1 Ecquis stat superum ? Nec enim terrestis in illo
 2 effulsit splendor, certe aut Latous Apollo
 3 per virides saltus teneros sectatur amores,
 4 aut Daphnis formosus adest, quem sordida terra,
 5 quem nemus abductum, quem (si fas) Cynthia flevit.
 6 Illi nequicquam Fauni, Charitesque quotannis
 7 ornarunt, festosque dies suavesque hymenaeos.
 8 Montibus et silvis immania lustra ferarum
 9 eruit, inuptae veneratus sacra Dianae.
1_ 10 Ah ! nimium intrepidus torvo occurrere leoni
11 gestit, et ingentes ad pugnam incedere tauros.
12 Quam modo qua Tagus auriferis incumbit arenis,
13 per vaga dorsa freti juvenum longo agmine cinctus,
14 vastatoris apri fugientia terga cecedit !
15 Non Atlante satae (felicia sidera munus
16 hoc pietatis habent) magis infelicis Hyantis
17 confusae ex abitu steterunt, trepidaeque volarunt
18 per silvas, resonantibus undique Hyantida sylvis ;
19 quam te, Daphni, super duplicantes vota Britanni,
2_ 20 quam te, Daphni, super pendentibus anxia fatis
21 diva, notos metuens, longumque quod aestuat aequor.
22 Sed postquam sospes tandem patria arva revisas,
23 terra nemusque viret, veteresque ex ordine cultus
24 sollemni instituunt silvestria numina pompa,
25 nec tibi tandem ausit decus invidisse Menalcus.